

† R. P. Ioachim Jacovino (1874-1954)

(Prov. Neap.)

Paulo post duos menses a decessu desideratissimi Patris Michaëlis Mazzei, cui addictissimus semper fuerat et quem in rebus spiritualibus discipulum habuerat, die octava Octobris (1) anni 1954 hora 9 ante meridiem Neapoli in collegio nostro pie spiritum Deo reddidit venerandus P. Ioachim Jacovino, octoginta annos natus.

Deo sic providente, adventu dilecti P. Mazzei in nostram neapolitanam domum inde a mense Novembri anni 1953 eiusque commoratione ad mensem Maium insequentis Anni Mariani, communitas neapolitana admirabunda inspicere potuit utriusque, P. Mazzei scilicet et P. Jacovino, infirmitate gravi laborantium, comitatem, patientiam, regularem observantiam, animi recollectionem ac caeli desiderium, de quo saepe inter se colloquebantur, sese sic parantes ad Dei visionem beatificam et ad contemplandam gloriam Beatissimae Virginis Matris Dei et N. Fundatoris S. Alfonsi et aliorum confratrum pie in Congregatione defunctorum.

Montagani die 11 Februarii a. 1874 natus e familia virtutibus potius christianis divite, quindecim annorum aetate inter alumnos nostrae Congregationis adscriptus est. Mire in scientia philosophica ac theologica proficiens, omnium in se admirationem excitavit. Vix sacerdos factus, munus docendi in nostro Studentatu suscepit, quod morborum gravium prius, dein officiorum — ad quae implenda a Superioribus vocatus est — causa aegre dimisit.

Iuvenatum neapolitanum in novam stabilemque formam fundatum per sex

-90 (1) Haec dies Sanctae Reparatae, Virgini ac Martyri, ab Ecclesia dicatur. Eius cultum P. Jacovino adauxit, obtenta exuviarum ab ecclesia cathedrali Theanensi in nostram ecclesiam translatione, dum Theani Rectoris munere fungebatur.

annos direxit, iterum simul cathedram philosophiae ac theologiae reassumens. Semper ad mortem usque Summam Divi Thomae et Aristotelis opera prae manibus habere visus est. A scribendo tamen de rebus scientificis abstinuit. Quae ad oratoriam artem pertinent, non alibi quam in involucris epistolarum schematicae ab ipso notata post mortem inventa sunt.

Per 39 annos Rectoris munus cum laude sustinuit Theani, S. Andreae Ionii, S. Angeli a Cupolo, Iuranis, Paganis, Neapoli, regularis observantiae assiduus custos, erga omnes generosum sese exhibens. Consultor provincialis per 9 annos, de tota Provincia consiliis et operibus bene meritus est; illa aetate nostra paganensis Basilica pretiosis marmoribus et picturis in digniorem formam redacta est. Semel Capitulo generali interfuit (1936).

Quoad ministerium sacrum, licet uni alterive missioni interfuerit, vix missionarius proprie dictus appellari potest. At indefessus fuit concionator exercitiorum spiritualium sacerdotibus utriusque cleri et monialibus. Praesertim claruit, ad mortem usque, ut insignis director spiritus. Eum hac de causa magni faciebant Episcopi non pauci, uti Exc.mus Dominus Gregorius Grasso, Salernitanae dioeceseos Archiepiscopus, felicitis recordationis, Exc.mus Dominus Bartholomaeus Mangino, Episcopus Casertanae dioeceseos, item Praelati et Superiores religiosi, uti Rev.mus P. Paulus Manna e Missionibus Exteris, ipseque Em.mus Cardinalis Sacrae Romanae Ecclesiae Alexius Ascalesi, felicitis recordationis.

Vere mirum: hanc diuturnam activitatem desideratissimus Pater mediis in infirmitatibus explicavit; laboraverat enim in viridi aetate phthysi pulmonaria, deinde per plures annos phthysi tracheali, cui supervenit ultimis ante obitum annis arteriosclerosis ac novissimis mensibus debilitas cardiaca, quae repetitis ictibus ad extrema desideratissimum Patrem deducebat.

Abhinc quatuor annis a nonnullis actibus communibus exoneratus et tardiori hora ad sese mane levandum coactus est; quod aegre ferebat, cum optaret vitam communem in omnibus sequi. Ob crurum infirmitatem stare diu vix poterat; quae de causa Pl. R. P. Provincialis ei a S. Sede impetraverat indultum celebrandi Missam sedendo, quo tamen propter reverentiam erga divinum Sacrificium numquam usus est et, quoad potuit, stans Sacrum egit.

Animi in Deum recollectionem nutriebat orationibus, piis iaculatoriis, marialis rosarii recitatione; a celebratione Missae infirmitate impeditus, numquam omisit sacram Synaxim devote recipere.

Nocte diei 29 Octobris novus ac gravior ictus cardiacus timorem intulit ne dilectum Patrem amitteremus, mane tamen melius sese habuit et, accepta Communionem, magno animi gaudio vota religiosa, adstante ipso Reverendissimo P. Rectore Maiore — in transitu neapolitanam domum invisente — renovavit. Gratus erga Superiores ac confratres ob exhibitas curas Superiori Provinciali humiliter commisit ut sua vice ab omnibus veniam posceret propter prava exempla, ut aiebat, inobservantias ac defectus totius vitae. A Superioribus benedictionem petebat, quoties illum invisabant; postremis horis P. Provincialis

instanter ab eo petiit ut ipsi ac Provinciae, iuvenibus praesertim, quos semper dilexerat, benediceret ac omnium ad pedes Beatissimae Mariae Virginis recordaretur. Quod bonus Pater, ad instar antiquorum patriarcharum, egit ac promisit.

Tandem sacramentis Ecclesiae devote receptis, fratrum circumdatus corona, rosarium dextera adstringens, coelum, uti speramus, petiit R. P. Ioachim Jacovino, qui nostrum Institutum adeo decoravit, ac praesertim tantopere dilexit.

P. Provincialis sic nobis scribere potuit: « Decessus etiam istius dignissimi filii Congregationis omnibus monitum sit ad fidelitatem nostrae sanctae vocationi servandam, ut heredes simus haud degeneres tam eminentium virorum, qui speculum facti sunt qua religiosi sanctitate, doctrina, gloriae divinae ac animarum zelo eminentes, ac propterea Provinciam ac Congregationem honorant ».

Miris verbis ad me scripserunt non pauci non Congregati post acceptum nuntium mortis Patris Jacovino: unum alterumve testimonium referre sufficiat.

« Quam dolenter nuntium mortis venerati ac vere sancti P. Jacovino accepimus, dum diebus praeteritis in spem cor erexeramus, auditis bonis de eo notiis! Eius tamen corona iam completa erat. Illum beatum dicimus, qui plenus meritis ob vitam sanctam et animas Deo lucratas coram Domino apparuit. Nos, quibus abhinc viginti et octo annis data est sors illum cognoscendi ac eius pretiosis consiliis utendi, comprehendere possumus quam magna sit pro tota religiosa redemptoristica familia et pro animabus eius amissio. Quapropter vobiscum condolere liceat ac orare pro eius spiritus requie, quamvis speremus eum iam visione Dei in pulchro paradiso gaudere. Oratione ei animi sensus patefacere possumus; illum tamen in caelo protectorem habere sentimus eiusque patrocinio utimur ». (Superiorissa ac Moniales Visitationis B.M.V. e monasterio Iuranensi, die 10 Octobris 1954).

Non aliter die 29 Decembris 1954 scribit Soror Baptistina ex Instituto Immaculatae Conceptionis in pago Rivarolo Canavensi. « Nolo hunc finem anni transigere, quin dilecto Patri defuncto aliquid donem. Certa sum eius animam beatifica Dei visione, quem tam dilexit ac diligere ab aliis fecit, iam gaudere. Debito tamen pietatis officio eleemosynam mitto 1000 libellarum pro celebratione sancti Sacrificii in eius suffragium. Gratias item tibi ago, licet sero, de relatione, quam mihi misisti, novissimorum dilecti Patris dierum, in cuius lectione multa documenta pietatis edocta sum ac firmius nunc teneo illum quondam altaria ascensurum esse. Exaggero? Puto me solam haud esse, nam abhinc viginti annis, dum ipse domus paganensis Superior erat, reverendi Patres illius communitatis eum alium sanctum Alfonsum dicebant. Sunt mihi epistolae ab eo missae vera elatioris sanctitatis documenta. Auspicari audeo; sic, ut nova pretiosa gemma, redemptoristicam Congregationem, iam tot Sanctis notam, in Dei gloriam necnon B. Mariae Virginis et S. Alfonsi, decorabit. Tuis orationibus me commendo, cui per triginta annos spirituali directione tam dilecti Patris uti licuit ».

In necrologio, die funerum perlecto, R. P. Dominicus Farfaglia, Praefectus Studentium et Consultor provincialis, populi adstante non pauca multitudine in nostra neapolitana ecclesia: « Mirum defleti Patris, inquit, elogium vita eius lucis ac amoris est; vivens elogium vos estis, dilecti confratres, prope et longe nunc sistentes; vos mecum, sacerdotes ac Praelati, alumni quoque sanctuarii, Moniales et Sorores e variis religiosis familiis; vos humilitatis causa absconditae, electae animae cuiusque socialis gradus; omnes, quos sapienter et peramanter defunctus Pater per viam perfectionis verbis, epistolis illuminavit, direxit, fulsit » (1).

P. IULIUS SISTO C.SS.R.